



ILLVSTRISSIMO
ET INCLYTO PRINCIPI ET
DOMINO, D_N. FRIDERICO WILHELMO
Duci Saxonie, & Electoratus Administratori, Land.
grauio Thuringiae, Marchioni Misniae, &c.
Domino suo clementissimo.



Vstitiam, Illustrissime Prin-
ceps, animam ciuitatis qui dixit,
verissimè dixit. Ut enim sine ani-
ma corpus, ita nec sine iustitia
ciuitas, quam humanæ societatis
coniunctionem quidam non ma-
lè definierunt, subsistere aut ha-
bitari ullo pacto potest. Testantur id literæ tam Sa-
cræ quam prophæ passim. Hinc enim illud, quod
authore Plutarcho veteres & loquuti sunt & scripse-
runt, & docuerunt, absq; iustitia principatum recte
gerere, ne Iouem quidem ipsum posse. Hinc illud
Rhadamanti apud Virgilium: Discite iustitiam mo-
niti, & non temnere Diuos. Quod ipsum multò an-
tè totidem penè verbis liber quoque Sapientiæ mo-
nens eos, qui iudicant terram, diligite, inquit, iustis-
tiam, quæ perpetua est, & immortalis, iniustitiam
verò, quæ mortis est, fugite. Hinc similiter illud D.
Augustini, Remota iustitia, quid sunt Regna nisi ma-
gna latrocinia? Et illud filiorum Coræ apud Regium
Prophetam, Iustitia & pax se inuicem osculantur, ybi
idem Augustinus, non litigant, inquit, quia duæ ami-
cæ sunt, Vis igitur venire ad pacem, fac iustitiam,
nam si amicam pacis non amaueris, non te amabit
pax ipsa, nec veniet ad te. Hinc tandem illud Salo-

) (2

monis,